


Programma Quo Viri Maxime Reverendi, Nobilissimi Atq[ue] Excellentissimi Dn. Michaelis Siricii, S.S. Theol. Doctoris ac Professoris Publici celeberrimi, Superintendentis meritissimi, Consistorii Ducalis Adessoris gravissimi, Funus Gustrovi[i] hodie i.e. VIII. die huiusce Septembris solemnissime deducendum, publicitus indicit & intimat Christophorus Redeker, I.U.D.P.P. & pro-tempore Academiae Rostochiensis Rector : [Datum Rostochii sub sigillo Academiae, die 8. Septembris Anni 1685.]

Rostochii: Wepplingius, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755910893>

Druck Freier  Zugang





KL-241(4)¹

Oldendorp: Warhafftige entschul-
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.

Steht bei Rara -

KL-241. (4.) <SON>

bestrahlt 2000

256
PROGRAMMA,

^{2^{vo}}
V I R I

MAXIME REVERENDI, NOBILISSIMI
Atq; EXCELLENTISSIMI

DN. MICHAELIS
SIRICII,

S.S. Theol. Doctoris ac Professoris Publici
celeberrimi, Superintendentis meritissimi, Consi-
storii Ducalis Adfessoris gravissimi,

*Funus Gustrovi hodie i. e. VIII. die hujusce Septembris
solemnissimè deducendum, publicitus indicit
& intimat*

CHRISTOPHORUS
REDEKER,

J. U. D. P. P. & pro-tempore
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

RECTOR.

ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGII, UNIV. TIPOGR.
ANNO 1685.



Ugete, O CIVES ACADE-
MICI! lugete, Abiit ex hac æ-
rumnarum & miseriarum do-
munculâ Vester SIRICIUS.
Vestrum nominavi VIRUM IL-
LUM MAGNUM, quia non sibi so-
li; sed vobis omnibus natus,
deditusque erat; quicquid
prudentiæ, quicquid virtutis
per totam vitam, non sine curâ atque molestiis, con-
quisiuit, illud omne in amicorum sinum effundere, eo-
rumque salutem, suamque omnia, ad extremum usque
vitæ halitum, mancipare gloriosum duxit, haud im-
memor illius Pythagoræ, debere illos, qui amicitiam
cole-

colere volunt, omne ad commune conferre. Luge
iraque Academia, Professore Theologiae egregium
amifisti. Ecclesia luge: Superintendentem
vigilantissimum amifisti. Luge Professorum
Cohors, collegam solertem & amicum candidum
amifisti. Studiosa pubes Doctorem, Consistorium
Adfessorem, Miseri Patronum amifistis, lugete!
Quid boni sperari ulterius licebit, si ita optimi
ex hac fragilitate migrare jubeantur. Saepe uno
sospite virae civitas stetit, & cadente eo
concidit. Vivente & vidente Epaminonda,
vivebant & vigeabant res Thebanorum,
adeo ut illo regnante civitas totius Graeciae
caput esset, mortuo vero perpetuum alieno
imperio subesse cogeretur. Sodoma, exeunte
Lotho, flammis consumta est. Minus igitur
sapere mihi videntur illi, qui in obitu
praestantissimorum & de Republica optimè
meritorum virorum praeter mortalitatem
nihil considerant. Navis nunquam
periculosius fluctibus maris exponitur,
quam si ei tempestas gubernatorem
adimat. Ruinam raro minatur domus
nisi columnae auferantur, Noster
SIRICIUS multarum parochiarum
erat gubernator, ingens Reipublicae
Christianae decus atque columen
uti vivus commissam sibi spartam
fortiter sustinuit, ita moriens eandem
reliquit ruinae obnoxiam, nisi magno
successuri studio sufficiatur,
luge.

lugete! Non tamen luctus vester sit nimius adeoq;
damnabilis velut Thracicarum fœminarum, quæ
defunctorum insiliebant conjugum rogos, & quod
maximè insigne ducebant castitatis, præcipientes in
flammam ibant; vel ut uxoris Senecæ, quæ maritum
ipsa morte non deseruit, sed & venas sibi unâ cum illo
curavit incidi; Talis enim ἀὐθιγία seu ἀνὴρ ποία, quâ
quis sibi ipsi mortem consciscit planè abominanda
atque illicita est: Qui se ipsum occidit, hominem
occidit, quod deus prohibuit Exodi 20. v. 13. Exiit
naturam, quæ cuique vitæ amorem & conservationem
indidit, quæ dicitur vitæ nostræ dominos nos non
esse: sic enim Socrates apud Platonem in Phædone ait:
*sicut in hanc vitam sponte nostra non venimus, ita nec
rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis
assignatum a Deo est, ejusdem injussu recedendum, qui nos
in hoc corpus induxit tam diu habituros, donec jubeat emit-
ti.* Nec impunitos illos finit nostra juris prudentia, sed in-
famiam notat. Lugete igitur beatè defunctum nostrum
SIRICIUM, ita tamen, ut semper cogiteris hominem
eum fuisse, eâ lege natum ut, aliquando denasceretur.
Cogitetis: non novum esse hominem mori, cujus to-
ta vita nihil aliud est quàm ad mortem iter Dum ori-
mur, morimur! felix autem dicendus, qui bene mo-
dò moritur: Mors enim bene morienti exordium
vi-

vitæ est. Malinaſcuntur ut moriantur; boni moriuntur ut vivant. SIRICIUM noſtrum ita mortuum eſſe ut vivat, vitæ ejus mortis hiſtoria docebit.

Natus BEATUS NOSTER SIRICIUS eſt Anno hujſeculi vigefimo ſtavo, & quidem die vigefimo primò Decembris in urbe Lubecâ, in quâ ferè circa idem tempus inter Cæſarem Daniæque Regem de pace per Legatos longis & acerrimis contentionibus diſceptatum eſt. Patrem ſalutavit Virum plurimum Reverendum & Excellentiffimum Dominum Magiſtrum MICHAELEM SIRICIUM, Paſtorem ad templum primarium, quod Lubecæ eſt, Meritiſſimum. Matrem verò laudavit Matronam omnibus ſexus ſui virtutibus inſignem AGNETAM REUTERIN. Avum Paternum habuit virum ſpectatiſſimum MICHAELEM SIERCKS, civem jam dictæ urbis induſtrium. Aviam verò, ejusdem lineæ, MAGDALENAM BECKERS fæminam nulli ſecundam. Avus Maternus fuit GERHARDUS REUTER Senator apud Lubecenſes quondam prudentiſſimus, cujus conjux fuit fœminarum decus ac ornamentum ELISABETHA MILLIES. Hiſ majoribus piè Defunctus vitam, & quod vitâ ipſi pretioſius æſtimandum eſt, honeſtam & ingenuam debuit educationem. Cum

A ;

enim

enim in hanc lucem expositus esset, id curæ ha-
buere optimi ejus Parentes, ut per sacrum divinae
aqua fontem, ab ingenitæ labe purgatus & regene-
ratus in album Ecclesiæ Christi reciperetur. De-
inde, ut cum lacte matris igniculos etiam Pietatis
imbiberet, curarunt sedulo; adeoque in sinu Ma-
tris, quantum per infantiam licuit, ad pietatem
& cultum Deo debitum, formatus est. Postquam
annos infantia deposuit boni Parentes eum studio
literario manciparunt, & cum eam ingenii indo-
lem in illo deprehenderent, ut omnibus ludicris
posthabitis, solo literarum amore eum inardescere,
sentirent, omnem usque moverunt lapidem, ut
laudabiles ipsius conatus in Patriæ commodum, &
Reipublicæ Literariæ emolumentum omni studio
proveherent. Adeoque eundem in scholam rivi-
alem illius urbis miserunt & fidelissimis tunc tem-
poris Præceptoribus ad studia literarum solidius ex-
colenda commendarunt. Nec parentum vota suc-
cessus speratus destituit. Nam præclara ejus
indoles & ingenii vigor videbantur ætatem præ-
currere. Propterea anno ætatis suæ decimo
octavo ad Pædagogium illustre, quod Stetini in
Pomerania erat, svasu Parentum abiit, ut sub Claris-
simo Micrello studia sua impigerrimè prosequeretur

retur, Verum non diu hic commemoratus est, febris enim quartana, in quam satis molestanti incidit, Lubecam redire jubebat. Hic tam diu substitit usque dum pristinae valetudini plane restitutus esset. Anno sequente scilicet hujus seculi quadragesimo sexto Julium se contulit & iterum ex voluntate parentum Lipsiam perrexit, ætatis anno vigesimo, ubi informatione & contubernio magni nominis Theologi HULSEMANNI usus est. Hic annus satis funestus defuncto nostro fuit, literis enim certus factus est: utrumque Parentem ex hac fragili vitæ tuguriolo migrasse ad cœlestem palatium; Quò acceptò nunciò non fractus, sed erectus. Non dubitabat quin, moribundi illum Parentes Deo, summo Patri, de meliori nota, commendassent. Quà commendatione fretus Wittebergensium Academiam salutavit, & Professores Theologiæ, quos hic nactus erat, sibi faventissimos, magnâ cum sedulitate audivit, illorumque ductu & auspicio genuinum verbi divini sensum, indefesso labore, hausit. Disputationem de Scripturâ elegantissime conscriptam sub Præsidio Beati Scharfii, eximiâ cum approbatione, ut, quis tandem futurus esset, demonstraret, Anno 1649, publicè defensavit. Et ne præ-

miuat

mium tendenti ad altiora aliquando denegaretur, anno hujus seculi quingvagesimo septimo in Academia Giesensi, ad quam se anno quingvagesimo primo contulerat, Disputationem suam inauguralem habuit. Nec virtus diu in occultis vivere aliquem patitur; sed suos Eruditorum mundo exponere solet. Ita quoque ad Cœlestia jam emigratus Noster SIRICIUS Illustribus atque Eruditis adeo innotuit, ut ab Illustrissimo, Celsissimoque Principe GEORGIO HASSIÆ LANDGRAVIO modo Professione Theologiæ Extra-ordinariâ ornaretur & sequenti anno ab eodem Principe, postquam Doctoris honores & titulum, consuetudine, capessiverat, vocaretur ad munus Professorum Theologiæ Ordinariæ & Pastorum Templi Giesensium primarii. Quâ verò industria fideque spartam Professoriam ornaverit, testantur præter tot exquisita ingenii monumenta, permulti passim viri doctissimi, qui se illi debere plurimum, ingenuè profitentur. Cæterum, cum rebus suis familiaribus solus superesse nequireret, de fortunarum Sociâ fuit sollicitus, adeoque Virgini Virtutum claritudine fulgidissimæ ANNÆ JULIANÆ, Viri Spectatissimi & Integerissimi Domini ADAMI FORTHENII Civis & Mercatoris

catoris quondam apud Francofurtenses ad Mœ-
num primarii filiae natu majori, matrimonii fidem
dedit, eamque felicia auspicio die 27 Junii, hujus se-
culi quingvagesimi noni, domum duxit. Nec fu-
it isthæc discors animorum conjunctio, nec in au-
spicatum matrimoniū, sed decimā sobole beatum:
Tres enim filios ERNESTUM GERHARDUM
Philosophiæ Magistrum Clarissimum. Johannem
Medicinæ & GUSTAVUM ADOLPHUM hu-
manioris literaturæ studiosos; & septem filias AN-
NAM ELISABETHAM, CHRISTINAM AG-
NETAM, MAGDALENAM SIBILLAM, quæ tres
ex hac mortalitate, inverso naturæ ordine ante pa-
rentes discesserunt, ANNAM LOVISAM CATHA-
RINAM, quam sibi Vir plurimum Reverendus
Dominus NICOLAUS DASSOVIUS, Theo-
logiæ Licentiatus Celeberrimus, ejusque facultatis
apud Griphiswaldenses Professor extraordinarius
Dignissimus conjugali vinculo sociavit, AGNE-
TAM CATHARINAM, DRUIDAM LUCRE-
TIAM, & SOPHIAM CATHARINAM lauda-
tissima hæcce Mater familias enixa est. Quarum
superstites defunctum Patrem mæstissime lugent:
Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo IL-
LYSTRISIMUS CELSISSIMUSQUE PRIN-
B CEPS

CEPS ac DOMINUS, DOMINUS GUSTAVUS
ADOLPHUS DUX MECKLENBURGICUS &c.
*Academiae nostrae Patronus Magnificentissimus, Domi-
nus noster longè Clementiss. Religione & Eruditione so-
lidissimâ nostri defuncti motus, non solum illum suæ
clementissimè nominavit Aulae sacerdotem; sed &
ut gratiam gratiâ cumularer, annò, ejusdem seculi
septuagesimo sexto, munus Superintendentis & Pro-
fessionem Theologiae & Adessoratum Consistorii
Ducalis gratiosissimè in Beatum nostrum,
contulit, animæque suæ illustrissimæ curam Beato
nostro & nonnullis aliis egregiis Theologis credidit,
Cui arduo officio tam fideliter, tam dextrè præfuit,
ut & Serenissimus noster Dominus obitum tanti vi-
ri valde jam lugeat. Erat enim eruditione egregius,
pietate laudabilis, prudentiâ admirabilis, ut in uno
illo & optimum Theologum & egregium Politi-
cum deprehendere quis posset. Secunda hacte-
nus protuli de nostro SIRICIO; adversa paucis quo-
que attingam. Audivimus tres sibi per mortem proh!
creptas esse filias, sed acerbius quid dicam. Anno
1677. mors conjugale illius solvit vinculum, ipsique
suam ANNAM JULIANAM abstulit & ita læ-
titiae Siricianæ splendorem in atram convertit
tristitiam. Istæ sunt mortalium vices, ut publi-*

blicè quos subinde felices conspiciamus, sine privatis rarò sint acerbitatibus. Ad secunda igitur vota Anno 1670. ut suis domesticis rebus consuleret, ivit ac in matrimonium duxit defuncti Dn. Licent. Samuelis Schutzii, Affinis mei quondam honoratissimi, viduam ANNAM, ex vetustissima Plönniorum familia ortam, foeminam prudentissimam, Cum quâ, licet sterile, concors tamen ad vitæ finē habuit conjugium. Acerbissimum est autem, quod ille, qui doctrinâ sua multis ostendit viam ad vitam æternam, nobis fato subductus sit. Die 24. Augusti anni currentis MAGNUM SIRICIUM mortuum esse obstupentes audivimus. Lugeamus igitur illum, cujus virtutem & solertiam semper ex merito æstimavimus. Lugeamus illum, quem collegiali amore, prosecuti sumus. Hoc officium beatæ Reverendi Vri. animæ debemus & id nostrarum partium omnino esse credimus, ut solemnia funeris in lachrymas desitura, publicò hoc programme prosequamur, & communem doloris sensum publicè contestemur. Quod tum facimus *Mæstissima vidua & liberis solatium*, corpori in animo quierem, beatissimæ animæ lætitiâ & desideratissimam in novissimo die conjunctionem precemur.

Datum Rostochii sub sigillo Academia, die 8. Septembris Anni 1685.

*Monumentum hoc breue, animo tamen bono,
Sic erectum Nostro Beato.*

SISTE GRADUM VIATOR!

Obvium habes Mortalitatæ exemplum,

MICHAELEM SIRICIUM

Lubeca, annò hujus seculi vigesimò octavo, Mensis Septembris
die vigesimo primo natum, Gustrovi, die vigesimo
quarto Augusti, anno, ejusdem seculi, octuagesimo
quinto denatum.

Virum

Pietate Religiosissimum,

Eruditione Magnum,

Consiliis Egregium,

Virtute Insignem,

&

Si multa paucis comprehendere cupis,

dicas:

VIRUM OPTIMUM

quem

Si

SERENISSIMI DUCIS gratia, ACADEMIÆ celebritas, CON-
SISTORII dignitas, CONJUGIS pietas, LIBERORUM Ob-
sequium, AMICORUM vota morti eripere
potuissent, adhuc viveret,

imò Vivit,

nam

Illius

PIETAS, ERUDITIO, PRUDENTIA ET VIRTUS,
DIGNUM LAUDE VIRUM VETANT MORI,


ABI VIATOR


& memor Sis:

UT CUM SIRICIO NOSTRO BENEVIAS,
NE ÆTERNUM MORIARIS,



Vale!

1756









Quidem diversæ passim Philosophiæ
circumferuntur descriptiones, quas
singulas, & recensere, longum; & ad
rationis, in præsentiarum, libellam re-
vocare, tædiosum foret. Antiquissi-
mam ego primâ facio: tanquã à Philo-
sophorū, quos habemus, Primate la-
tã, omniumque, rectè philosophanti-
um, calculo, hactenus approbatã Pla-
tonis ea est, digna profectò Authore,
abus tantum voculis, **MEDITATIONE**, puta,
lvatur. Censebat Divinus ille Vir, tantò nos eva-
es, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne-
ipso falsus est, cùm, quodcunque in Philoso-
pho, circa mortis meditationem reperiamus. Mor-
talis, quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque
vitæ, quales esse in morte desideramus. Ea, animum
quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini
m notam inurere possunt. Ea est, quæ do-
m, timorem pellit, tranquillitatem inducit;
s casuum animum varietates firmat, adversus
reddit, quando omnia ab eodem impedi-
tantò paratior sit, sicubi res exiget, statim
quando est faciendum, statim exire, quo ali-
ndum, tabernaculo suo. Quæ enim ista mortis
est, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm
terris animal, præter hominem, cognitione.
DE